



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEDILECTAE NOBISSANCTUARIUM BEATAE MARIAE VIRGINI
TITULO «MADONNA DELLA CORONA»

INVOCATAE DICATUM, QUOD IN LOCO «SPIAZZI DI FERRARA DI MONTE BALDO»

IN VERONENSI DIOECESI EXSTAT, AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Dilectae Nobis Ecclesiae Veronensis fideles ac plurimi e proximis praesertim regionibus pii peregrinatores solent
Sanctuarium frequentare Beatae Mariae Virgini titulo «Madonna della Corona» invocatae dicatum, quod in loco «Spiazzi
di Ferrara di Monte Baldo» exstat, intra fines eiusdem dioecesis. Id enim pietate et certa spe petunt ut, pulchrum Virginis
Perdolentis venerantes simulacrum atque praeclarissima Dei Matris et hominum exempla meditantes virtutum, optatas
validasque haurire possint vires ad vitam suam secundum Christi divina praecepta ducendam aliaque munera caelestia
impetranda. Quapropter cum Venerabilis Frater Iosephus Amari, Episcopus Veronensis, litteris die XX mensis Iunii hoc
anno datis, etiam cleri populiue sui nomine petiverit ut idem templum Basilicae Minoris titulo ac dignitate honestaremus,
Nos, qui Mariam «plenam gratiae» Pontificatus Nostri augustam tutricem elegimus, enixis istius Pastoris precibus libenter
annuere optamus. De sententia igitur Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino Nobis propositi, quam
ratam habemus, summa Nostra Apostolica potestate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctuarium, de quo
mentionem fecimus, ad gradum Basilicae Minoris evehimus cum iuribus atque liturgicis concessionibus, quae huius
generis sacrarum aedium sunt propria, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «de titulo Basilicae Minoris» die vi mensis
Iunii anno MCMLXVIII datum, servanda sunt. Contrariis quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum
Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Iulii, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS Card.
CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana